

05

A

1507

Q. D. B. V.

De

PLAGIS CARDINALIBUS,

In Illustri ad Albim Academia,

disputabunt

P R Æ S E S

M. JOHANNES FRIDERICUS

WEINERUS, Käbschiz. Misn.

&

R E S P O N D E N S

THEODORUS Böhme / Krögens. Misn.

In Auditorio Veteri, d. 12. Octobr.

M DC LXXVIII.

Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.

V I R O

*Plurimum Reverendo, Clarissimo atque
Doctissimo,*

DNO. ANDREÆ Böhmen /

**Ecclesiæ quæ Christo in Krögis colligitur, Pastori
vigilantissimo, meritissimo.**

*Parenti suo nullo non honoris ac amoris cultu
sempiternum de venerando*

**Exercitium hoc Academicum,
filialis observantiæ ergò**

Dat, Dicat, Consecrat



05 A 1507

**THEODORUS Böhme / Krögenſis
Miſnicus, Phil. & S.S. Th. Stud.
Respondens.**



I. N. 7.

PRÆFATIO.

Sed verum non minus, quam ve-
tus Poëta effatum est: Omne tulisse pun-
ctum, qui miscuit utile dulci, suâ illos laude
haud esse privandos temerè, existimo, qui in
eo literarum genere, ad quod naturali quadam
animi inclinatione feruntur, jucunditatem sibi
pariter, atq; utilitatem sectandam esse arbi-
trantur. Etenim cum studiorum plerorumq; ea sit conditio, ut, cum
omnem, quæ in iis hæret, superaveris difficultatem, nihil fermè inde re-
portes, præter id, quod suaviter recordari possis, te aliquando iis (licet
fortè in spem futuræ oblivionis) invigilasse, nonnulla tamen ejus gene-
ris esse videmus, quæ, præterquam quod insigni animum perfundant
dulcedine, non exiguum cultoribus afferunt emolumentum. Quibus
si quis doctrinam accenseat Geographicam, is, meo quidem judicio, &
rectè, & prudenter facere censendus. Hujus enim quanta præter di-
gnitatem, tum utilitas, tum jucunditas sit, si pluribus ostendere cona-
rer, is mihi se aperiret differendi campus, in quo initium dicendi face-
re, quàm finem reperire, magis in proclivi esset. Fatebuntur id mecum
omnes, qui vel primis, quod ajunt, pulcherrimam banc disciplinam at-
tigerunt labris. Quæ me etiam res movit, ut, dum in publicum prodi-
re, sederet animus, eam mihi, ex nobilissimâ ista scientiâ, seligerem
materiam, quæ utroq; nomine se commendaret vehementer. Scilicet
doctrinam de Plagis, iisdemq; Cardinalibus, quantum quidem per vi-
res ingenii (quas exiguas admodum in me deprehendo) licebit, brevi
quâdam Commentatione illustrare constitui. Quod negotium, ne fau-
stis careat successibus, Tuum, ô supremum Numen, auxilium imploro,
atq; obtestor.

A 2

S. I. Ne

§. 1.

NE temerè & ἀμεθόδως, sed suis veluti cancellis inclusa, nostra decurrat disertatio, quædam de Plagis in genere mihi præmittenda esse, censeo. Hæc enim probè perspecta viam sternere themati nostro, ejusq; faciliorem & expeditiorem reddere contemplationem, nemo, ut opinor, facilè iverit inficias. Ubi tñ. non ero prolixus, in percensendis significatis vocis, ab hoc instituto penitus alienis. Sufficiat, neglectis reliquis, adduxisse potiora. Norunt omnes, qui vel leviter versati in lectione Scriptorum Latinorum sunt, nomen Plagæ, non de terrâ modò, sed etiam de cælo totoq; mundo, penes ipsos adhiberi. Quod manifestum faciam, adductis hanc in rem testimoniis Autorum. In citato apud Ciceronem lib. ii. de Divinat. versu: *Quod est ante pedes, nemo spectat: cæli scrutantur plagas*, Plagas denotare regiones, spatia, tractus &c. facilè constat. Planè in eandem sententiam Virgilius Galaxiam *plagam lacteam* nominavit. Sunt, quibus frequentissimè pro Zonâ, istud nominis adhibetur. Quò facit illud Senecæ, in Hercule Oetæo, de Torridâ cœlesti:

*Ambit peremptus Cancer ardentem plagam,
Libyæq; sidus fertur.*

Atque hinc est, quod Philoxeno in Glossario, Plaga sit ζώνη ῥεγνυμένη, ubi tamen addit: καὶ ἰσῆς. Nimirum, cum arcus in nubibus apparens, quandam in Cælo Zonulam præ se ferre videatur, hinc factum est, ut & ipsi nomen Plagæ cesserit. Cæterum non de Zonis saltem cœlestibus, sed de iis quoque cingulis vocem adhiberi videas, quibus terrarum orbis distinguitur. In quâ significatione occurrit apud Ovidium Lib. i. Metamorph.

*Utq; duæ dextrâ cælum totidemq; sinistrâ
Parte secant Zona, quinta est ardentior illis.
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura DEI: totidemq; plagæ tellure premuntur.*

Quibus gemina sunt, quæ apud Virgilium extant Lib. 7. Æneid.

*Audiit: & si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, & si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.*

§. 2. Quibus notionibus vocis suppositis (ut ad originem quoque ejus deveniamus) formata esse videtur ex Græco πλάξ. Quod

Quod explicatum vid. apud Eustath. ad Iliad. ζ. qui πλαῖνας dici ait πάντα τὰ πλατεῖα i. e. omnia, quæ lata sunt; Sed speciatim sic vocari πᾶν τὸ ἐπίπεδον χωρίον s. πᾶν τὸ πλατὺ χωρίον, spatium quodcunque planum vel latum, ab eodem observatum legas ad Iliad. β. Quò respexit Nonius cap. 4, citatus à Becmanno, Martino aliisque, cui Plaga est spatium immensum, spatium amplissimum vel cœli vel agri. Quam tamen vocis acceptionem hinc exulare, nemini obscurum esse poterit, ex jamjam dicendis. Minus aliena ab instituto est illa, sub quâ ad sic dictam mundi plagam denotandam, adhibetur. Prodeat iterum Seneca, cuius in Hercule furente, quibus Actum 5. orditur, verba id clarè docent:

Quis hic locus? quæ regio? quæ mundi plaga?

Ubi sum? sub ortu Solis, an sub Cardine

Glacialis urse?

Ubi, quid plaga mundi sit, pronum est intelligere. Esse enim tractum rectilinearem, ex certo loco terræ, in mundi latera h. e. extremitates, quæ in latum sunt, excurrentem, res ipsa loquitur. Ut adeò non sit, cur præter mentem Senecæ, in versibus allegatis, significationem vocis penes Cosmographos aliàs receptam, hîc militare censeamus: quibus non adversatur, qui plagas mundi etiam in altum & profundum, ac circumquaque versus cœlum exire, è puncto terræ quocunque, statuit.

§. 3. Ut igitur dicamus, quod res est, postquam de nomine solliciti hætenus fuimus, Plaga in præsens ad terram involvit respectum. De quo, ut rectius nobis constet, tenendum est, non consensu hîc plagam de terrâ accipi, quo Zonas designat terrestres, quippe quem, ut notum est, paulò ante removimus: nec præterea, quod magis quis suspicari posset, denotare tractum superficiale vel regionem terræ quancunque, cuius significationis vestigium occurrit in illo Senecæ, Hercule Oetæo Act. 2.

Nec tamen omnis Plaga gemmiferi

Sufficit Istri.

Sed in quantum pars est Plagæ mundi. Cum quâ eque in eo convenit, quod non minus atque ipsa sit tractus rectilinearis, quem è certo telluris loco exire concipimus; id tamen discriminis inter utrumque intercedit, quod tractus iste vel terminari in Ho-

rizonte loci, vel propagari ulterius, ad Finiorem usque totius universi possit. Si prius supponas, quod hic sufficit, terræ; sin posterius, Mundi Plagam rectè appellaveris. Istis igitur ad eum modum explicatis, quantum quidem ad institutum sufficere visum fuit, hæc Plagæ generalis suâ sponte emergit Definitio: quod sit *tractus rectilinearis, à loco quocungq, in superficie telluris, versus Horizontem cogitatione nostrâ protensus.*

§. 4. Jam de varietate Plagarum, dispiciendum breviter erit. Quæ tametsi, in quantum quidem usibus humanis destinantur, non exigua sit, nec, quò minus major adhuc animo concipi possit, Horizontis, in quem excurrunt, vetet conditio, (quippe cum circulum istum in infinitum secare liceat) reduci nihilominus, quicquid hic diversitatis deprehenditur, ad duo potissimum, & in Scholis Geographorum decantatissima momenta, commodè potest, si statuamus, omnem plagam, quæcunque illa sit, vel Cardinalium vel Intermediarum numero accensendam esse. Quod ne gratis dixisse videar, & sine omni distributionis hujus fundamento, hanc meæ assertionis do rationem: quod quædam plagæ ipsos mundi cardines directè spectant; aliæ ab istis recedunt, inq; iis terminantur punctis, quæ intermedium inter duos cardines proximos locum occupant.

§. 5. Divisioni succedit evolutio membrorum dividendium. Quam tamen ratione utriusque hic tradere instituti mei prohibet ratio. Quare promissi memor, ad solam Cardinalem Plagam, ejusdemq; varietatem quæ facere videntur, quantâ fieri poterit, brevitate & perspicuitate tangam. Hanc verò à Cardinibus Mundi ita appellari, perspicuum est. Quæ vox cum non unam admittat significationem, enucleanda hic nonnihil est, ut, quo pacto Cardinali Plagæ denominationem tribuat, omnibus constet. Ac primò quidem notum est, Cardines mundi vocari duo illa puncta immobilia, quæ mundanum terminant axem; idq; per similitudinem à januis petitam. Quemadmodum enim hæc in suis, è quibus suspensæ sunt, Cardinibus vertuntur: sic coeli machina vel potius sidera per illam variè & eleganter disposita, circa illa, de quibus modò dixi, puncta, conversione diurnâ restituuntur in orbem. Atque hinc est, quod *πόλοι* Græcis appellentur, sic dicti, *ὅτι τὸ πᾶν πολεῖν*, quod est vertere. Cic. in Phænom. Ex-

*Extremusq; adeò duplici de Cardine vertex
Dicitur esse Polus.*

Qui vocis usus haud dubiè occasionem dedit alteri illi significationi, quæ jam sequitur. Cum enim in Sphærâ rectâ, utroque polorum in Sectiones Horizontis & Meridiani incidente, puncta sectionibus istis designata, Cardines mundi, secundum allatam expositionem evadant, factum hinc esse videtur, ut illa idem etiam in cæteris Sphæræ positionibus nomen retinerent. Quibus si addantur reliquæ duæ intersectiones Horizontis & Æquinoctialis, quatuor illa puncta, in extremitate spatii mundani, à sectionibus prædictorum circulorum ostensa, cardinesq; mundi vulgò dicta, habebis, quippe à quibus pendet maximorum mundi corporum instituta ab ortu, per meridiem, in occasum, indeq; ulterius per septentrionem in ortum continuata & absoluta revolutio. Sed his tamen nomen istud non semper ab Autoribus tributum reperias. A quibusdam enim quatuor Cœli partes it. regiones ac limites appellantur. Quemadmodum Favorinus apud Gell. II. Noct. Att. c. XXII. *Satis, inquit, notum est, limites regionesq; esse cœli quatuor: Exortum, Occasum, Meridiem, Septentrionem.* Et post multa: *A quatuor cœli partibus, quas quasi primas nominavimus, oriente scil. atq; occidente, latioribus atq; simplicibus, non tripartitis &c.* Quem locum, utut de Plagis mundi Cardinalibus, quàm de ipsis Cardinibus accipere, magis congruum videatur; ob permutationem tamen illam, quam in Scriptoribus, quibus plaga Cardinem, & Cardo vicissim plagam significat, observare licet, de his æquè ac de illis Philosopho citato, sermonem esse, conjicimus. Ubi tamen, si *anglicani* sectari velimus, patet, Cardinem mundi à plaga mundanâ haud aliter discrepare, ac terminum, quem plaga terræ Cardinalis (de quâ nunc disputo) non quidem assequitur suo excursu, sed tamen in eum directè tendit, ac veluti prospiciendo è longinquo intuetur. Quam verò distinctionem non ubique observant Scriptores, quos nihilofecius specialiora plagarum Cardinalium nomina (de quibus jamjam dicendum erit) ipsis pariter Cardinibus imposuisse videmus. Quæ tamen, modò rectè distinguantur, confusionem non pariunt, cum ex communitate nominis, rerum, quibus id tribuitur, identitas minus rectè colligatur. Erit itaque
secun-

secundum observata, Plaga Cardinalis, quæ unum aliquem prospicit
è mundi Cardinibus.

§. 6. Sed hæc vicissim non una, sed quadruplex esse Geographis statuitur; fundamentum subdivisionis quærentibus, in ipso Cardinum mundi, juxta ultimam explicatarum notionum, numero, pro cujus ratione totidem quoque emergunt Plagæ Cardinales: *Septentrio, Meridies, Ortus & Occasus*. Quamquam enim non desint, qui tot in universum plagas statuunt Cardinales, quot duci ad se mutuò possunt perpendiculares lineæ, ex eodem terræ puncto, versus cælum; (quo pacto si commemoratis accendant Zenith & Nadir, sex evadere necesse fuerit) hæc tamen res, quoniam in Geographica de situ locorum mutuo, doctrinâ usum nullum habet, nec eatenus hîc in censum veniunt plagæ, in quantum sunt tractus rectilineares è puncto terræ quocunque, in altum & profundum, quin & circumquaque versus cælum exeuntes, (recole dicta §. 2. circa finem) numero isto quaternario contenti esse facile possumus, Astronomicæ disquisitioni, quicquid Plagarum recensitis istis superadditur, relinquentes. Cæterum ex nostris potiores existimantur Septentrio & Meridies, postulante id i. ordine cognitionis, quia plagas mundi investigaturi primò omnium de Septentrione & Meridie solliciti sumus, tum demum animum advertimus ad Orientem & Occidentem. 2. facilitate, majorem certitudinem supponente latitudinis locorum, quæ versus Meridiem & Septentrionem numeratur, quàm longitudinis, quæ ab Occidente in Orientem computatur. De quibus proinde primo loco explicandum nobis erit.

§. 7. Quod igitur ad Septentrionem attinet, de origine hujus vocis non multum laborandum mihi esse, censeo. Enimverò sidus illud coeleste, quod Ursam vocare majorem solemus, antiqui Græcorum ἀρκτὺς appellaverunt, eò quod plastro assimilaretur. Quos imitati Romani Veteres, Septentriones non majorem tantum, sed minorem quoque Ursam dixerunt. Fundamentum hujus appellationis evidens est ex consideratione simplicium, quorum ratione vox composita est. Septem enim stellis præcipuis coruscare utrumque sidus, norunt tyrones Astronomiæ. Triones autem quasi Terriones boves nominabantur aratores, quod arandæ colen-

colendæq; terræ idonei essent. Vid. Varr. Lib. 6. de Lingv. Lat. Festum in voce Septentriones. Gell. lib. 2. cap. 21. Hyginum lib. 2. Poetic. Astronomicôn c. 2. Cumq; asterismis prædictis vicinus admodum sit polus, factum hinc est, ut non modò ipsi, verùm etiam ab hoc vicissim Cardini mundi, à mundi Cardine plagæ, à plagâ denique vento idem nominis cesserit.

§. 8. Quibus circa nomen præmissis, talem Septentrionis sistimus definitionem: Qvòd sit *Plaga Cardinalis, sectionem Horizontis & Meridiani cœlestis prospiciens, ad quam à vertice polus mundi inclinatur Septentrionalis*. Quæ cum satis plana sit, nec ullâ labore difficultate, non opus est pluribus persequi, quæ ad terminorum evolutionem faciunt. Sectio enim Horizontis & Meridiani in cœlo mundanove spatio, quid sit, nemo ignorat. Cumq; duplex ea sit, ex dictis perspicuum esse arbitror, ad quam h. l. respiciatur. Modò id observetur, in descriptione hujus Plagæ, attendi conditionem Sphæræ à nobis inhabitatæ. Quæ cum obliqua sit, multum discriminis inter eam & rectam, ut & parallelam dari, manifestum est. Etenim in rectâ, nulla poli ad Sectionem istam inclinatio, sed unio potius cum eâ conspicitur. In parallela verò omnis & inclinatio cessat & unio. Postremò id addendum est, non modò Septentrionem appellari aliàs plagam septentrionalem, sed etiam à vento inde spirante, Boream. Quamquam enim Boreas ex sententiâ Veterum, sit ventus orientalis, spirans ab eo puncto, quod Sol occupat tempore Solstitii æstivi; juxta Recentiores tamen ventus à Septentrione spirans, eo nomine insignitur.

§. 9. Hæc de Septentrione. Cui cum è diametro opponatur Meridies, non obscura ejus potest esse descriptio:

B

Est

Est enim Plaga Cardinalis, sectionem Horizontis & Meridiani cœlestis prospiciens, à quâ per verticem polus mundi recedit Septentrionalis. Ubi circa nomen observandum, quod prima & propria ejus significatio sit, quando pro tempore adhibitum illud momentum denotat, quod totam Solis moram supra Horizontem in duo æqualia tempora, antemeridianum & pomeridianum distingvit. Hinc dictum Meridiem quasi Medidiem, quod sit medius dies, asserunt Isidor. in orig. L. 3. cap. 41. Varro Libr. 5. de Lingv. Lat. Cic. in Oratore, Macrobi. 2. de somnio Scipionis c. 5. & 1. Saturn. c. 3. Deinde cum Sol meridianum tempus efficiens in circulo ejusdem nominis, si nostram habitationem respicias, ad Cardinem mundi vergat, Septentrioni secundum diametrum oppositum, non tantum hic ipse Cardo, sed etiam plaga sive terræ sive mundi in eundem Cardinem excurrent, meridiei nomen accepit. Porro, quemadmodum Septentrionem à vento inde spirante, Boream nominari, modò dixi, ita plagam quoque præsentem, à vento, qui flat à meridie, Austrum appellari videas. Vocatur item Cardo, nec non plaga Australis. Minus tamen ad mentem Macrobii, qui Meridiem dici mavult, hoc præcipuè nixus fundamento, quod ab extremitate Australi tanto intervallo, eodemque maximam partem incognito absumus, de quo videatur ipse in priori cit. loc.

§. 10. Facta verò in definitione iterum mentio fuit sectionis Horizontis & Meridiani, quæ hîc pariter exprimitur, secundum rationem habitationis nostræ in Sphærâ obliquâ. Circumscriptio tamen ejus facile docet, distinctam esse ab alterâ illâ, quam prospicit Septentrio, eiq; planè adversam. Ut enim ad illam, à puncto verticibus nostris in cœlo imminente, inclinât, ita ab hac contra, per verticale punctum deflectit polus mundi septentrionalis.

§. 11. Ut

§. 11. Ut verò eò felicius investigetur utraqve hæc plaga, solent hanc in rem adhibere Geographi sic vocatam lineam Meridianam: quam constat, esse *rectam, in plano Meridiani, per centrum telluris traductam, lineæ, punctum verticale cum pedali, connectenti perpendicularem*. Ex qua descriptione evidenter colligimus, incidere lineam istam in utramque sectionem Horizontis & Meridiani, adeò, ut unâ sui parte, prout è terrâ exire concipitur, tendens in eam sectionem, ad quam polus Boreus inclinatur, septentrionalem: alterâ verò, in quantum excurrit in sectionem oppositam, Australem mundi plagam referat, totaq; proinde cum utrâque plagâ simul sumptâ exactè congruat, & per consequens, plagam quoque terræ utramque, Septentrionem atque Meridiem designet.

§. 12. Sed dicas: quo pacto hæc assertio stare potest cum antea dictis circa finem §. 3., ubi plagas terræ, è dato in superficie globi, loco quocunque procedere monuimus? Resp. Res caret difficultate, modò sciamus, posse, imò solere etiam pro Meridianâ frequenter adhiberi lineam, quæ in superficie terræ, vel plano quocunque, quod ei innititur, ita descripta est, ut & in plano Meridiani existat, & lineam verticalem ad angulos rectos secet. Quæ licet parallela tantum priori sit respectu nostri, si tamen animo statuatur, in coelum usque protracta, propter insensibilem telluris, ad tantam machinam, proportionem, in ipsas sectiones Meridiani & Horizontis incidere necessum habebit. Atque hæc ratio est, cur in præcedentibus observaverim, plagas terræ quasdam partes esse plagarum mundi. Has igitur sive per centrum telluris transire cogites, sive per quodlibet in superficie ejus punctum, nihil à veritate alienum dixeris.

§. 13. Unde, cur meridiana appelletur hæc linea, facile perspicitur. Neque enim ideò saltem adæquatè id nominis ipsi tribuitur, quod in plano circuli meridiani vel cogitatur vel descripta cernitur; sed quia plagam insuper indicat meridionalem, ipsumq; cardinem mundi, quem Meridiem vocamus, prospicit. Quin & præter Australem plagam, Septentrionalem simul ostendit. A quo utroque suo officio & situ, Septentrionis pariter ac Austri linea audit. Ubi id obiter noto: Geographos hunc loqvendi modum mutuò petiisse ab Astronomis, quibus linea illa Meridiana vocatur, quoniam motus Planetarum proprios observaturi, ad austri-
nam plagam prospiciunt.

§. 14. Atque hujus lineæ, velut index ab ipsâ naturâ constitutus magnes lapis est. In magnete enim sub quacunque formâ, duo cernere licet opposita puncta, quorum alterum suâ sponte, si nullum facultati movendi sese, positum fuerit impedimentum, ad Septentrionem, alterum ad Meridiem se convertit. Quod experiri quivis potest, modò tornatum aliquem & in figuram globi dispositum, in promptu habeat, jamq; notaverit punctorum istorum situm. Suspenditur enim magnes ex filo in aëre tranquillo, vel unâ cum vasculo subereo continente, cum quo & supernatare possit, & convolvi, aquæ impositus, continuò sese movere deprehenditur, donec situ ad lineam meridianam exactè composito, punctorum prædictorum unum in Septentrionem, alterum in Meridiem dirigat. Ubi tamen hanc varietatem, pro diversâ conditione Sphæræ, occurrere compertum est, quod in Æquatore, polis mundi & terræ, in Horizonte jacentibus, duo illa puncta, situ magnetis ad planum Horizontis parallelo explicentur; Sed in parte terræ, quam nos incolimus, septentrionali, ambobus ejus polis infra Horizontem latentibus, ita tamen, ut Boreus nobis vicinior existat, punctorum alterum, quod Septentrionem prospicit, infra Horizontis planitiem deprimatur, alterum verò oppositumq; supra eum
attol-

attollatur. Ut adeò, quod facile patet, ultra Æquatorem, in parte terræ Austrinâ, contrarium planè, ordine inverso eveniat. Quare puncta sæpiùs nominata, polos magnetis appellari ab eruditis videas, quoniam, ut terræ poli respiciunt polos coeli, sic hæc vicissim polos telluris affectant. Ac ille quidem Boreus dicitur, qui ad polum terræ Boreum se accommodat & in Septentrionem dirigitur, alter verò, qui ad Meridiem vergit, Austrinus nominatur.

§. 15. Neque verò existimandum est, pro se tantummodo præstare magnetem, quæ hætenus retuli; quin & virtutem agendi similia ferro communicare eundem, in vulgus notum est. Acum magneticam quis nescit? quæ nihil aliud est, quàm *Virgula Chalybæa subtilissima, in puncto æquilibrîi, super axiculo, plano Horizontis perpendiculariter infixo, facillimè mobilis, per virtutem magnetis communicatam, affectans lineam meridianam.* Præter hanc tamen virgulam rectam, adhiberi in eodem usus solet vel Rhombus ex filis ferreis confectus, vel annulus, vel navicula, aut alia quædam figura. Hinc versorium magneticum, communiori voce nonnullis appellatur, ob illam, quâ pollet, let, mobilitatem in orbem.

§. 16. Non tamen adeò accuratè semper acus hæc magnetica lineæ Meridianæ insistit, quin in plurimis locis ab eadem deflectat. Pauca enim à Geographis recensentur, in quibus exactè cum lineâ prædictâ ita congruat, ut alterâ sui extremitate Septentrionem, alterâ Meridiem designet. Facit id, si plerisque credimus, in Insula Corvo & Pico Azoridum, in Freto Herculeo, Melita Insula, Javâ Majori, Viennæ Austriæ, Constantinopoli & aliis quibusdam in locis, collectis in

tabulam à Ricciolo lib. 8. Geogr. Reform. cap. 12. n. 9. Quem situm acus, ceu legitimum & proprium, χαλυπόδειξιν nominare solemus. Secus verò plerumque se rem habere, deprehendes: quandoquidem acus ista, elaborata licet artificiosissimè, procul à ferro posita, & ab aëris motu secura, omnibusq; adeò, quotquot esse possunt, libera impedimentis accidentalibus, naturali quâdam fascinatione, occultaq; de causâ, à lineâ Meridianâ deflectit, modò in ortum recedens, modò digressa versus occasum. Quæ tametsi exigua sit, in quibusdam locis, aberratio, inq; negotiis non magni momenti insuper haberi possit; in aliis tamen eò usque excrecere solet, ut nisi emendetur maturè, in errorem non levem queat inducere. Atque hic situs, utpote priori oppositus, adulterinus est, quem post multos alios, declinationem acus magneticæ, Græco vocabulo χαλυβόκλισην appellamus: distinguendam accuratè ab Inclinatione infra Horizontem, de quâ in §. 14. Reperias tamen nonnullos, qui usum vocum permutantes, declinationem vocant, quam nos diximus Inclinationem, quibus verò declinatio nostra est variatio acus magneticæ, Belgis naucleris die Mißwiesing der Compassen dicta.

§. 17. Ut verò, quid sit declinatio Acus Magneticæ, accuratius intelligatur, hanc ejus sistimus Definitionem: quòd sit *Arcus Horizontis, inter lineam Meridianam, & acum magneticam cogitatione protractam, interceptus*. Quæ licet diversa videatur à descriptione aliorum, quibus Declinatio hæc est *Angulus factus à lineâ Meridianâ & acu magneticâ, habente centrum sui motûs in meridianâ lineâ*; reverà tamen cum illâ coincidit, estq; perinde, quocunque

cunqve modo definias, cū notum sit, arcum illum Horizon-
tis, in priori definitione, angulum prædictum arguere, ita, ut
angulus vicissim eopse arcu mensuretur, sitq; ejusdem cum il-
lo quantitatis.

§. 18. Cæterū cum Acus magnetica, ut modò dixi,
à meridianā linea deflectens, quibusdam in locis versus ori-
entem, in aliis versus occidentem declinet, nata inde divisio
est, ut Declinatio orientalis alia, alia occidentalis audiat.
Ubi circa varietatem appellationis observandum, Italici decli-
nationem orientalem vocari Græcalem, occidentalem verò
Magistrale. Hinc verbis convenientibus actum declina-
tionis duplicem notaturi, Acum Græcissare dicunt, quando
à Meridianā lineā deflectit versus exortum, magistrare verò,
quando in occasum declinat. Quas appellationes à ventis
desumptas esse, facile constat. Meseu enim seu Borrhapelio-
ten, qui nostris est Nord-Ost / Græcum illi vocant, quod ex
Græciā per mare mediterraneum, ad eos spiret. Borrholi-
bycum verò, qui nobis Nord-West dicitur, magistrum nomi-
nant. Atqui inter Boream & Meseu, omnis declinatio acus
orientalis absolvitur, sicut occidentalis inter Boream & Bor-
rholibycum continetur: quāquam, quod obiter noto, pla-
gas prædictorum ventorum, nullo in loco, quod quidem
nobis constet, assequatur, quippe cum illæ à Septentrione in
utramque partem, Orientem pariter & Occidentem, totis ab-
sint gradibus 45: Declinatio verò acus magneticæ, omnium
hactenus inventarum maxima non excedat gradus 33.

§. 19. Atque hæc de Plagis, quas ex Cardinalibus po-
tiores appellant, in præsentī dixisse sufficiat. Postulat jam
ordinis ratio, ut reliquas duas paucis perlustremus. Ac pri-
mò quidem se nobis offert *Ortus*. Cujus vocis quæ hîc mi-
litet significatio, remotis cæteris huc non spectantibus, pa-
tebit facile. Notum verò est, Ortum simpliciter sic dictum,
tū actum stellarum, supra Finitorem sese proferentium, tū
etiam

etiam atque præcipuè, situm illum denotare, quando centrīs suorum corporum eam Horizontis partem occupant, supra quam videntur asurgere diebus singulis: Quo respectu inter affectiones, motum primum concomitantes, numerari in Astronomiā Sphæricā solet. Hoc autem loco, pro Plagā accipi, manifestum est. Cujus significationis fundamentum est præcedens illa, à quā etiam ad denotandam plagam, tractum est vocabulum. Nonnunquam pro ipso Mundi Cardine, quem plaga ortus prospicit, usurpatur. Plaga verò, ut & Cardo, *Oriens* aliàs appellatur. Græcis est ἀνατολή. Quæ vox vicissim ambigua, nec uni significationi obnoxia est. 1. enim sumitur pro *actu oriendi*. Sic ἀνατολή ἡλίου actus orientis Solis, ἀνατολή σελήνης actus ortus Lunæ. 2. pro *tempore exortus*, quod cum actu exoriendi concurrit. Quod, tametsi in omnibus Planetis locum habeat, καὶ ἐξοχῶν tamen de tempore ortus Solis seu initio diei artificialis accipitur. Quem in sensum Plutarchus quæst. Rom. 48. πράξεως, inquit, μὴ δέχην, ἐποιῶντο τὴν ἀνατολὴν, ὡς ἀσπευγῆς δὲ τὴν νύκτα. 3. Denique pro Plagā seu regione mundi, ubi Sol exoriri conspicitur, vel pro loco apparentis ortus Solis, oriente. Vid. B. Schmid. ad Matth. cap. 2. v. 1. Spiegel. in notis ad Hymnum omnium horarum Prudentii v. 76. Ac pro plagā quidem sumpta vox non tantum in numero singulari, sed frequenter etiam in plurali occurrit. Quo nomine ex profanis Autoribus conf. Herodianus Lib. 1. Histor. cap. 2. it. Lib. 7. c. 3. Adde Lib. 6. c. 3. mox sub initium. Ex sacris verò Matthæus in historiā Evangelicā cap. 2. Com. 1. de Magis refert, quod advenierint Hierosolyma ἀπὸ ἀνατολῶν, ex oriente. Conf. Matth. 8. v. 11. cap. 24. v. 27. Luc. 13. v. 29. Cujus rei causam esse judicat B. Schmidius partim multitudinem stellarum, tum fixarum, tum erraticarum, quibus præter Solem, in illā plagā Horizontis, suæ ἀνατολῆς à naturā sint tributæ, partim etiam diversitatem adeoq; pluralitatem punctorum ortivorum Solis, diversis anni temporibus. In quo nihil præter verum asseruisse virum beatissimum, fatemur; sed verò distinctionem

ctionem illam, quam affert, inter ἀνατολήν & ἄπωλιν, admittere non possumus, ob causam alibi dictam, quam nunc repetere, non est necesse. De cætero explicationi Schmidianæ interfuit locus ille Gellii Lib. 2. cap. 22. *Exortus & Occasus*, inquit, *mobilia & varia sunt, meridies septentrionesque statu perpetuo stant & manent. Oritur enim Sol non indidem semper; sed aut Æquinoctialis oriens dicitur, quum in circulo currit, qui appellatur ἰσημερινός, aut ἰσημερινός aut Solstitialis aut Brumalis, quæ sunt θερινὰ τροπὰ καὶ χειμερινὰ. Item cadit Sol non in eundem semper locum. Fit enim similiter occasus ejus aut Æquinoctialis, aut Solstitialis aut Brumalis.* Autor quoque Libri de Mundo, quem Aristotelem vulgò putant, triplices facit ἀνατολάς: *Θερινὰς, ἰσημερινὰς, χειμερινὰς*: singulas species in numero multitudinis percensens, quia ortus æstivus & cæteri non in uno puncto absolvuntur, sed per plura in Horizonte continuantur. Nec fortè quenquam latere arbitror, totam Horizontis medietatem Astronomis dici Orientalem, supra quam attolluntur sidera, quocunque id fiat in puncto: Occidentalem verò appellari totam illam alteram, infra quam deprimuntur stellæ, cum videntur occidere.

§. 20. Qui vocis usus licet præ cæteris ad institutum faciat, paulò tamen laxior est. Accuratè enim loquendo, plaga ortus, non minùs ac reliquæ, tractus rectilinearis est, unum in Horizonte punctum, Cardinem sc. ejusdem nominis prospiciens. Qui verò Cardo in sectionem incidit longè aliam, atque Septentrio & Meridies. Cum enim uterque horum intersectione Horizontis & Meridiani notabilis sit, Cardo Orientis in puncto sectionis Horizontis & Æquatoris concipiendus est. Non tamen in quâcunque, sed eâ solùm medietate Horizontis, parteqve cœli, quâ stellæ videntur supra Finitorem attolli. Quibus proinde momentis Ortus non tantùm à Septentrione & Meridie, verùm etiam ab Occasu distinctus sistitur, ejusque hæc perspicua nascitur definitio: *Ortus est plaga Cardinalis, sectionem Horizontis & Æquatoris prospiciens eâ parte, cœli quâ stellæ videntur supra terram ascendere.*

C

§. 21.

§. 21. Supereſt Occaſus, tot modis dici ſolitus, quot Or-
tum accipi, modò obſervavimus; ſed contraria tamen ratio-
ne, quantum ad ſtellas, infra Horizontis medietatem alteram
ſe condentes, plagamqve & cardinem ortui oppoſitum. Pro
tempore poſitum nomen Occaſus exrat in Legibus XII. Tabu-
larum: *Solis occaſus ſuprema Tempeſtas eſto*, uti quidem apud
Macrobiū legitur l. Saturn. cap. 3. Pro quo tamen pleriqve,
antiqvam loqvendi conſuetudinem reſpicientes, in XII. Tab.
ſcriptum fuiſſe cenſent: SOL OCCASUS. Qvod obſerva-
tum Iſacio Pontano, in notis ad locum Macrobii citatum. Vid.
etiam Joh. Roſinus lib. 8. Antiqv. Rom. cap. 6. & plures alii
penes ipſum. Ut nihil dicam de Occaſu cum reſtrictione, de
occultatione ſiderum dicto, quæ ipſis accidit, propter vicinam
Solem. Pro Plaga & Cardine acceptus alio nomine *Occidens*,
Græcis verò *δύσις*, it. *δυση* appellatur. Quorum etiam no-
minum, quatenus Plagam Occaſus ſignificant, frequens in nu-
mero multitudinis, uſus eſt, ob cauſam, allatæ ſuperius de Or-
tu, ſimilem, quia Sol non iisdem ſemper occidit in punctis Ho-
rizontis. Conf. iterum loca Script. S. ibi adducta, & relege ver-
ba Gellii. Adde ſi placet, B. Schmid. notis ad Matth. 8. v. II.

§. 22. Cæterum peculiaris illa Horizontis & Æqvatoris
ſectio, Occaſum non tantum à prioribus duabus plagis, ſed
etiam ab Ortu evidenter diſtingvit; quippe quæ ſita eſt in eâ par-
te cœli, quâ ſtellæ videntur infra Horizontem descendere, &
priori illi quam ortus proſpicit, è diametro opponitur.
Quibus ad eum modum præmiſſis, Occaſus hæc ſuâ ſponte e-
mergit definitio: quod ſit *Plaga Cardinalis, ſectionem Horizontis
& Æqvatoris proſpiciens eâ parte cœli, quâ ſtellæ videntur infra
terram descendere*. Ubi facilè liquet, ita ſtructuram eſſe hanc
atqve præcedentis plagæ definitiones, quemadmodum permit-
tit conditio ſphæræ obliquæ & rectæ. In parallelâ enim ſtel-
las nec oriri nec occidere, manifeſtum eſt.

§. 23. Ut verò præcedentes duas plagas lineæ Meridia-
næ beneficio, inveſtigari diximus, ita hanc utramqve designat
linea

linēa recta Horizontalis, Meridianam secans ad angulos rectos, in quā Ortus ob Occasu vel solo partium corporis humani situ distinguitur. Quod ut rectius intelligatur, sciendum est, lineam Horizontalem non eam tantum hoc loco vocari, quæ est in plano Horizontis rationalis traducta per centrum telluris, sed etiam, quæ huic in superficie terræ, parallela est. Cujus generis licet plurimas, imò infinitas fermè animo concipere liceat; in uno tamen eodemque plano, præter unam, nulla lineam meridianam ad angulos rectos intersecat. Illa proinde si cognita fuerit, lineam Ortus & Occasus nullo negotio describere, aut mente complecti, & ab aliis quibuscunque distinguere poteris.

§. 24. Cæterum quod ad partes corporis humani, ex quarum situ Ortus ab Occasu distinctionem innotescere monui, attinet, hæc illarum conditio est, ut inventa unā aliquā ex plagis, per eas facile deducamur in notitiam reliquarum. In quamcunque enim plagam te dederis vultu, opposita tibi semper à tergo erit. Ex cæteris alteram ad dextram, alteram ad sinistram habebis. Sinistram verò manum ex situ cordis æstimari, esseque illam, versus quam hic spectat, in confesso est apud omnes. Cumque cordis eadem penes omnes homines sedes & dispositio sit, eandem quoque sinistram corporis partem, oppositamque dextram ubivis locorum censerī necesse est: Ubi hæc quoad hemisphæria diversitas occurrit: quod in nostro hemisphærio, Septentrionali sc., respicientibus nobis, more Astronomorum, errantium siderum cursus suis legibus constri-cturorum, ad Austrum, in quem inclinatur penes nos tractus Æqvatoris, Eclipticæque, qui est supra terram, motu quotidiano stellæ videantur à sinistrâ tendere versus dextram, atque adeò plaga Ortus à sinistrâ sit, Occasus ad dextram, Septentrio à parte posticâ; illis verò, qui Australe inhabitant, vel eò transeunt, contraria omnia eveniant: quandoquidem vultu ad iter Solis verso à dextris oriuntur sidera, sed ad sinistras videntur descendere; manente tamen eadem signorum serie, quæ penes nos observatur.

§. 25. At

§. 25. At Geographi investigaturi, mediante altitudine Poli cœlestis, nobis conspicui, locorum latitudines, Septentrionem intueri solent. Quibus proinde Meridies non potest non à tergo esse, Ortus ad dextram, Occasus ad sinistram. Poëtæ veteres propter Insulas Fortunatas, in occidente respectu nostri sitas, faciem vertebant ad Occasum, atque adeò Ortum à tergo, Septentrionem ad dextram, Meridiem ad sinistram habebant. At Auguribus contrariâ ratione Ortum prospicientibus Occasus à tergo, Meridies ad dextram, Septentrio ad sinistram erat. Noti hanc in rem sunt versiculi memoriales:

*Ad Boream Terræ; sed Cœli Mensor ad Austrum,
Augur ad Exortum videt, Occasumq; Poëta.*

ubi vulgò pro Augure in altero versu substituunt *Præco DEI*, quod Sacerdotes ad Altare, preces ad Deum fundentes, vultu sese versus Ortum componant. Quod institutum haud dubiè è primitivâ Ecclesiâ ad nos dimanavit. Veteres enim Christianos, eos puta, qui primis Ecclesiæ temporibus vixere, inde ab Apostolorum tempore per plura secula, versus Orientem. h. e. vultu sive facie ad Orientalem Cœli plagam conversâ, precari consuevisse, historiarum testantur monumenta. Quos tamen certum est, non eo nomine hunc ritum observasse, quasi probarent superstitionem Gentilium, qui Solem hunc, magnum Mundi Lumen divino mactantes honore, & aras suas ad Exortum spectantes condiderunt & versus eandem plagam adoraverunt. Conf. Vitruv. Lib. IV. cap. ult. Virgil. XII. Æneid. Clem. Alex. Lib. VII. Strom. Sed ut Solem Justitiæ Christum, quem & Luciferum, & Orientem ex alto in S. literis appellari, constat, precantes sibi in memoriam revocarent. Adi sis ex Veteribus Justin. Respons. ad Quæstiones CXVIII. Basil. Lib. de Spir. S. c. 27. Origenem Homil. V. in Lib. Numer. Augustin. Lib. II. de sermone Domini in monte. Damascen. Lib. IV. de Orthod. fide cap. XIII. Ex recentioribus vid. Gerh. Joh. Voss. Lib. II. de Idol. c. 3. Balduin. Cas. Conf. Lib. II. cap. 7. quæst. 9. Hildebr. in Rituali orantium cap. I. Thomaf. Dissertat. de ritu veterum Christianorum precandi anatolico cap. XIV.


TANTUM.

05 A 1507


ULB Halle

3

003 778 428



1507



Q. D. B. V.
De
**PLAGIS
CARDINALIBUS,**

In Illustri ad Albim Academiâ,
disputabunt
P R Æ S E S
M. JOHANNES FRIDERICUS
WEINERUS, Käbschiz. Misn.

&
RESPONDENS
THEODORUS Böhme / Krögens. Misn.
In Auditorio Veteri, d. 12. Octobr.
M DC LXXVIII.

Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.